



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Articulus XI. vtrum vnionem Verbi incarnati aliqua merita præcesserint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

him omnib. ratio D. Tho. procedit, quia hæc omnia ordinantur ad operationē, vt dispositiones vel principia earū, vel si sint operationes ipsæ, multo minus possunt ipsæ concurrere ad constitutionē suppositi, cum ab illo procedant, vt in nobis etiam videre est.

Dicitur tertio, hanc vnionem esse gratuitam Dei donum, seu quandam gratiam, in quantum gratis à Deo facta est, nullis præcedentibus meritis, quo sensu, vel etiam iuxta primam conclusionem locutus videtur August. lib. de prædest. Sanct. c. 15. quem hic affert D. Tho. in argumento, sed contra. In qua conclusione Caiet. aduertit non dixisse D. Tho. vnionem factam esse per gratiam, sed ipsam esse gratiam, quod verissimum est, loquendo de ipsa substantiali vnione, quæ vt supra diximus est modus supernaturalis omnino gratis collatus humanæ naturæ, non per aliam gratiam, ipsa n. vnio est veluti formalis ratio cōiunctionis humanitatis cum Verbo: vnde si loquamur de humanitate, dici potest vnita Verbo per gratiam, nō dispositionē; sed quasi formaliter, scilicet per ipsam vnionem, quæ gratia quædam est. Adde relationem etiam vnionis posse dici gratiam factam per ipsam cōiunctionem substantialem, tanquam per fundamentum suum, quanquam relatio non debeat cēferi distincta gratia ab ipso fundamento, ex quo naturaliter resultat. Deniq. Verbum ipsum potest dici gratia collata humanitati, quia vt supra dictum est, illi est datum, vt terminus substantialis dependenti illius, vnde per se ipsum illam sanctificat: & hoc modo potest dici facta hæc vnio per gratiam, non tanquam per formam, aut per aliam causam propriam, sed tanquam per terminum ipsius vnionis, quanquam verum sit, illam particulam, per, nō proprie ad hanc significationem accommodari.

Sed contra hanc conclusionem sic expostam potest obijci ratio illa facta pro secunda conclusione, quia in nobis nō vnitur natura sua supposito, per aliquod quod mediet inter ipsam & suam substantiā; neq. etiam per modum medium, ergo neq. in hac vnione requiritur. Sed hæc obiectio supra expedita est, negando consequentiam, quia in nobis substantia, non est res distincta, sed modus intrinsecus naturæ, at vero in hac vnione, substantia Verbi, est res omnino distincta à natura, & ideo necesse est, vt modus vnionis inter illa intercedat. Itaq. ratio illa fuit efficax ad secundam cōclusionem, quia ibi excludebatur gratia accidentalis, nō vero virget cōtra tertiam, quia gratia, de qua sermo est in hac conclusione, est substantialis.

Argumentum primum D. Tho. est facile, & recte concludit vnionem hanc non esse factam per aliquā gratiam, quæ sit accidens animæ. D. Th. autem in solutione, non est contentus hoc concedendo, sed voluit etiam illud probare, quia per gratiam accidentalem solum communicatur homini quædam participata similitudo diuinæ naturæ: per incarnationem vero confertur ipsa persona filii Dei. Vnde cōcludit hanc gratiā esse altioris ordinis ab omni gratia accidentali, & consequenter non fieri per illam. In secundo argumento explicat D. Th. illum locū Pauli ad Col. 2. In quo habet omnis plenusudo diuinitatis corporaliter, & tres adhibet expositiones, quarū tertiam non affirmat, sed refert tantum, quia nō est expositio, sed metaphorica quædam accommodatio, illo enim modo etiam posset dici Deus habitare in rebus omnib. corporaliter, quia sicut corpus habet tres dimensiones, ita Deus est in omnibus rebus, per essentiam, presentiam, & potentiam, duæ vero priores expositiones sunt optimæ, & literales. Prima, vt corporaliter significet, id est, vere, & nō per figuras, aut vmbra. Secunda vt illa voce significatū sit Verbum non tantum in anima, sed etiam in carne Christi habitasse per hanc vnionem, & veraq. est August. epist. 57. ad Dardanum circa finem, vbi posteriorem magis probare videtur, & mihi maxime placet, si ita

explicetur, quod plenitudo diuinitatis dicatur fuisse in Christo corporaliter, quia ex verbo diuino, & humana natura corporea, vnā ineffabilis substantia corporalis composita sit, sicut anima potest dici habitare corporaliter in homine, non quia in corpus conuersa sit, sed quia ita est vnita corpori, vt cum illo, vnā personam corpoream cōponat. & hoc modo dicit Aug. per illud corporaliter, idem significatum esse, quod illis verbis. Verbum caro factum est, & Theodor. ibi. Corporaliter, inquit, id est, tanquam in proprio corpore, non enim singularem aliquam gratiam accepit, vt Moyses, Deus enim est & homo, & id quod videtur, vnā habet vniuenti diuinitatem, & Theoph. Habitauit, inquit, in eo corporatus, & vna substantia cum eo quod assumpsit, quod explicat exemplo animæ, & corporis quod ex Cyril. refert, & hoc testimonio in hoc sensu vtitur Gelas. Papalib. de duabus naturis circa medium. Aliam vero expositionem seu potius amplificationem primæ expositionis supra posite habet Prosper li. sententiarum Aug. sententia 93. vbi inquit diuinitatem dici habitare in Christo corporaliter, quia in illo implentur omnia, quæ in antiquis vmbis figurata sunt, vt sic quodammodo (inquit) vmbra præcedentium ipse sit corpus, id est, figurarum illarum ipse sit veritas.

ARTICVLVS XI.

De vnionem Verbi incarnati aliqua merita præcesserint.

Ad vndecimum sic proceditur. Videtur, quod vnio incarnationis fuerit aliqua merita subsecuta: Quia super illud Ps. 32. Fiat misericordia tua super nos, quemadmodum, &c. dicit gl. Hic insinuat desiderium Prophete de incarnatione, & meritū impletionis. Ergo incarnatio cadit sub merito. Preterea, Quicumq. meretur aliquid, meretur illud sine quo illud haberi non potest: Sed antiqui Patres merebantur vitam æternam, ad quam peruenire non poterant, nisi per incarnationem, dicit enim Greg. * in li. 13. Moral. Hi qui ante Christi aduentum in hunc mundum venerunt, quantūlibet iustitia virtutem haberent ex corporibus educti, in finem celestis patriæ statim recipi nullo modo poterant: quia nondum ille venerat, qui iustorum animas in perpetua sede collocaret. Ergo videtur quod meruerint Incarnationem.

3. Preterea * De beata Virgine cantatur, quod Dominum omnium meruit portare. Quod quidem factum est per Incarnationem. Ergo Incarnatio cadit sub merito.

Sed contra est, quod Augustinus dicit in libro * de prædest. Sanctorum. Quisquis in capite nostro præcedentia merita singularis illius generationis inuenit, ipse in nobis præcedentia merita multiplicata regenerationis inquirat: Sed nulla merita præcesserunt regenerationem nostram: secundum illud ad Titum. 3. Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam soluos nos fecit per lauacrum regenerationis. Ergo nec illam Christi generationem aliqua merita præcesserunt.

Respondeo dicendum, quod quantum ad ipsum Christum, manifestum est * ex præmissis, quod nulla eius merita potuerunt præcedere vnionem. Non enim ponimus, quod antefuerit purus homo, & postea per meritum bonæ vitæ, obtinuerit esse filius Dei, sicut posuit Photinus: sed ponimus quod à principio conceptionis ille homo vere fuerit filius Dei, vt potè non habens aliam hypostasim, quam Dei: secundum illud Lu. 1. Quod ex te nascetur, sanctum, vocabitur filius Dei: Et ideo omnis operatio illius hominis subsecuta est vnionem. Ergo nulla eius operatio potuit esse meritum vnionis.

Sed neque etiam opera alterius cuiuscunque hominis potuerunt esse meritoria huius vnionis ex condigno. Primo quidem: quia opera meritoria hominis proprie ordinantur ad beatitudinem, quæ est virtutis premium, & consi-

Theodor.

Theoph.

Gelas. Pap.

Prosper.

17.

1. 2. q. 98. ad.

4. c. 3. dist.

4. q. 3. ar. 1. c.

Rom. 1. 13.

col. 2. ff. c.

Heb. 1. 1. 4.

col. 3. in n. m.

ent in gl. m.

relinquari.

ibid.

* Li. 13. c. 20.

circa finem.

* In offia il.

lius ad Mar.

† Ca. 15 non

proc. ap. h. s. g.

Art. præced.

confistit in plena Dei fruitione. Vnio autem Incarnationis cum sit in esse personalis, transcendit unionem beatæ mentis ad Deum, quæ est per actum fruendi. Et ideo non potest cadere sub merito.

Secundo, quia gratia non potest cadere sub merito, quia est merendi principium. Vnde multo minus Incarnatio cadit sub merito, quæ est principium gratiæ: secundum illud: 1. Cor. 1. Gratia & veritas per Iesum Christum facta est.

Tertio, quia incarnatio Christi est reformativa totius humane nature: Et ideo non cadit sub merito alicuius hominis singularis: quia bonum alicuius puri hominis non potest esse causa boni totius nature.

Ad congruo tamen meruerunt sancti Patres Incarnationem, desiderando & petendo: congruum enim erat ut Deus exaudiret eos, qui ei obediebant.

Et per hoc patet responsio ad primum.

Ad secundum dicendum, quod hoc est falsum, quod sub merito cadit omne illud, sine quo premium esse non potest: quædam enim sunt, quæ non solum requiruntur ad premium, sed etiam præexiguntur ad meritum, sicut diuina bonitas, & eius gratia, & ipsa hominis natura. Et similiter Incarnationis mysterium est principium merendi, quia de plenitudine Christi omnes accepimus, ut dicitur Ioan. 1.

Ad tertium dicendum, quod beata Virgo dicitur meruisse portare Dominum omnium; non quia meruit ipsum incarnari; sed quia meruit ex gratia sibi data illum puritatem & sanctitatis gradum, ut congruè posset esse mater Dei.

COMMENTARIUS.

Quoniam dictum est unionem hanc esse gratiam, id est, gratuitum donum, quod merita excludit, ideo D. Th. quæstionem hanc hoc loco mouet, quæ de omni merito tam de condigno, quam de congruo, & tam ipsius Christi, quam cuiuscunque alterius intelligitur. Quod autem D. Th. interrogat an præcesserint merita, non intelligit de tempore, aut duratione, sed an præcesserint tanquàm ratio, & causa huius unionis.

1. Conclus.
D. Thom.

b Respondet autem tribus assertionibus, prima est, non potuisse Christum mereri incarnationem suam, ratio est, quia operatio meritorum Christi subsecuta est unionem, ergo non præcessit illam ut meritum eius. Quæ ratio supponit vnum principium fidei, scilicet humanitatem Christi non prius tempore fuisse conceptam, quam unitam, quod inferius tractandum est, supponit etiam meritum debere antecedere præmium, de quo dicemus late in disputatione sequenti.

2. Conclus.
D. Thom.

c Secunda conclusio est, nullum alium hominem potuisse mereri de condigno hanc unionem. Primo, quia meritum hominis ex se solum ordinatur ad beatitudinem, hæc vero unio est bonum alterius ordinis. Secundo, quia omne tale meritum fundatur in gratia, cuius principium, & fons est incarnatio. Tertio, quia nullus homo potuit mereri de condigno reparationem totius generis humani, & consequenter nec incarnationem, per quam ipsum reparatur. Ex quibus rationibus prima & tertia sunt perspicue, & habent locum etiam respectu Angelorum ad quos hæc conclusio extendenda est, & mea sententia etiam principia in quibus fundatur secunda ratio, communia sunt Angelis, habet vero specialem difficultatem ratio illa quam in sequenti disputatione commodius tractabo.

3. Conclus.
D. Thom.

Gloss.

d Tertia conclusio est, de congruo sanctos Patres meruisse incarnationem desiderando, & petendo illam, quia congruum erat ut Deus exaudiret homines sibi amicos, & obediētes, & iuxta hanc conclusionem explicat in solutione ad primum glossam super id Psal. 32. Fiat misericordia tua Domine super nos, sicut sperauimus in te, dicentem, ibi inlinuati desiderari.

um Prophetæ de incarnatione, & meritum impletionis, quod non inuenio expresse in aliqua glossa: sumi vero potest ex Glossa ordinaria coniuncta cum interlineali; quæ ex Aug. desumpta est super illum Psalmum.

e In solutionibus argumentorum sola solutio ad tertium est valde notanda, nam specialiter de Virgine inquirunt meruerit incarnationem, vel concipere Deum. Et respondet D. Th. non meruisse Virginem, ut Deus fieret homo, sed meruisse illum puritatis, & sanctitatis gradum, ut congruè posset esse mater Dei. Quæ responsio indiget longa expositione, & disputatione statim tractanda.

ARTICVLVS XII.

a Vtrum Gratia unionis fuerit homini Christo naturalis.

Ad duodecimum sic proceditur. Videtur quod gratia unionis non fuerit homini Christo naturalis. Vnio enim incarnationis non est facta in natura, sed in persona: ut dictum est: sed vnumquodque denominatur à termino: Ergo gratia illa magis debet dici personalis, quam naturalis.

2. Præterea, Gratia diuiditur contra naturam: sicut gratuita quæ sunt à Deo distinguuntur contra naturalia, quæ sunt à principio intrinseco. Sed eorum, quæ ex opposito diuiduntur, vnum non denominatur ab alio: Ergo gratia Christi non est naturalis.

3. Præterea, Naturale dicitur quod est secundum naturam. Sed gratia unionis non est naturalis Christo secundum naturam diuinam (quia sic conueniret etiam aliis personis) nec etiam naturalis est ei secundum naturam humanam: quia sic conueniret omnibus hominibus, qui sunt eiusdem nature cum ipso: igitur videtur, quod nullo modo gratia unionis sit Christo naturalis.

Sed contra est, quod Aug. dicit in Enchirid. * in humana natura susceptione sit quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, quia nullum posset admittere peccatum.

b Respondeo dicendum, quod secundum Philosophum in quinto Metaphys. * natura vno modo dicitur ipsa naturitas, alio modo essentia rei, vnde naturale potest aliquid dici simpliciter: Vno modo, quod est tantum ex principijs essentialibus rei: sicut igni naturale est sursum ferri: Alio modo dicitur esse homini naturale, quod ab ipsa naturitate habet: secundum illud Eph. 2. & ratiōis natura filij iræ. Et 1. Sap. 12. Nequam est ratio eorum, & naturalis malitia ipsorum.

c Gratia igitur Christi sue unionis, siue habitualis non potest dici naturalis, quasi causata ex principijs humane nature in Christo. Ad quamuis posset dici naturalis, quasi proueniens in naturam humanam Christi, causante diuina natura ipsius.

d Dicitur autem naturalis vtraque gratia in Christo, in quantum eam à naturitate habuit: quia ab initio conceptionis fuit natura humana diuine personæ unita, & anima eius fuit munere gratiæ repleta.

Ad primum ergo dicendum, quod licet unio non sit facta in natura, est tamen causata ex virtute diuine nature, quæ est verè natura Christi: Et etiam conuenit Christo à principio sue naturitatis.

Ad secundum dicendum, quod non secundum idem dicitur gratia & naturalis: sed gratia quidem dicitur, in quantum non est ex merito: naturalis autem dicitur, in quantum est ex virtute diuine nature in humanitate Christi ab eius naturitate.

Ad tertium dicendum, quod gratia unionis non est naturalis Christo secundum humanam naturam, quasi ex principijs humane nature causata: & ideo non oportet quod conueniat omnibus hominibus. Est tamen naturalis ei secundum humanam naturam, propter proprietatem naturitatis.